

ORDO BENEDICTIONIS ABBATIS ET ABBATISSÆ

ORDO BENEDICTIONIS
ABBATIS ET ABBATISSÆ




PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II INSTAURATUM AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO BENEDICTIONIS ABBATIS ET ABBATISSÆ

EDITIO TYPICA



TYPIS VATICANIS

MMX

Editio typica 1970
Reimpressio 1978
Reimpressio 2010

ISBN 978-88-209-8406-9

www.libreriaeditricevaticana.com



SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 1730/70

DECRETUM

Abbatem et Abbatissam monasterii, post eorum electionem canonice factam, benedicere, traditum est in usu liturgico Ecclesiæ, ut hac ratione manifestum sit universam religiosam familiam supernam gratiam invocare super eum, quem ducem sibi elegit in via perfectionis percurrenda. Volventibus autem sæculis ritus Benedictionis Abbatis et Abbatissæ sæpius formas singulis temporibus et locis proprias induit. Nostris ergo diebus opportunum visum est traditas formas recognoscere, ut ritus munus spiritale in clariore luce collocaret illius, qui religiosæ familiæ præest, iis demptis partibus, quæ ingenio hominum nostræ ætatis minus congruerent.

Præsentem igitur ritum Benedictionis Abbatis et Abbatissæ, instauratum, et a Summo Pontifice PAULO VI die 19 octobris huius anni 1970 approbatum, hæc Sacra Congregatio pro

Cultu Divino promulgat, ut pro ritu in Pontificali Romano nunc exstante adhibeatur.

Permittitur autem ut editio latina statim ac in lucem edita fuerit in usum assumi possit.

Conferentiæ Episcopates curent ut editiones lingua vernacula apparentur atque diem statuant, quo eædem editiones, ab Apostolica Sede rite confirmatæ, vigere incipiant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 9 novembris 1970.

BENNO Card. GUT
Præfectus

A. BUGNINI
a Secretis

ORDO BENEDICTIONIS ABBATIS

PRÆNOTANDA

1. Benedictio Abbatis fiat cum religiosorum et fidelium, si casus fert, frequentia, die dominico vel festivo, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

2. Benedictio Abbatis de more celebratur ab Episcopo loci in quo exstat monasterium. Sed, iusta interveniente causa et Episcopo loci consentiente, ab alio Episcopo, vel ab alio Abbate, Electus benedictionem recipere potest.

3. Electo assistant duo religiosi sui monasterii.

4. Expedit ut religiosi Electo assistentes, Abbates et religiosi sacerdotes et etiam alii sacerdotes præsentes cum Prælato qui benedictionem confert et cum Electo Missam concelebrent.

5. Si Electus in sua Abbatia et ab alio Abbate benedicitur, hic Electum modo benedictum invitare potest ut præsideat concelebrationi in liturgia eucharistica; secus Prælatus qui benedictionem contulit præsidet concelebrationi; quo in casu Abbas modo benedictus primum locum tenet inter ceteros concelebrantes.

6. Prælatus qui benedictionem confert necnon omnes concelebrantes sacras vestes induunt quae ad Missæ celebrationem requiruntur. Electus induit omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam. Religiosi Electo assistentes, si non concelebrant, induunt vestem choralem vel superpelliceum.

7. Benedictio anuli, baculi pastoralis et mitræ, tempore opportuno, ante ipsam benedictionem Electi de more peraguntur.

8. Præter ea quæ ad Missæ concelebrationem et ad communionem sub utraque specie ministrandam necessaria sunt, parentur: a) Pontificale Romanum; b) Regula; c) baculus pastoralis; d) anulus et mitra pro Electo, si ipsi sunt tradenda.

9. In liturgia verbi Prælatus qui benedictionem confert sedeat in cathedra; Electus vero inter religiosos sibi assistentes in presbyterio, loco aptiore.

10. Benedictio Electi fit de more ad cathedram. Si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Prælato qui benedictionem confert ante altare vel loco aptiore; sedes autem pro Electo et religiosis ei assistentibus sic parentur, ut actio liturgica a religiosis et fidelibus bene conspici possit.

DE BENEDICTIONE ABBATIS

LITURGIA VERBI

11. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Ministrum librum Evangeliorum deferentem sequuntur presbyteri concelebrantes, deinde Electus medius inter religiosos sibi assistentes, postea Prælatus qui benedictionem confert, medius inter duos diaconos.

12. Liturgia verbi peragitur ad normam rubricarum.

13. Lectiones sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei vel e Missa rituali pro benedictione Abbatis, iuxta rubricas.

14. Si Prælatus qui benedictionem confert intra ritum benedictionis allocutionem habet, ut suo loco proponitur, homilia omittitur.

15. Symbolum in hac Missa non dicitur. Item oratio universalis omittitur.

BENEDICTIO ABBATIS

16. Dicto Evangelio, vel expleta homilia, incipit benedictio Abbatis. Prælatus, qui benedictionem confert, ad sedem paratam sedet cum mitra.

17. Electus a religiosis sibi assistentibus adducitur ante eiusdem Prælati sedem, et ei reverentiam facit.

18. Unus e religiosis Electo assistentibus Prælatum alloquitur his vel similibus verbis:

Adest, Reverendíssime Pater, Eléctus nostri monastérii N. Ordinis N. diœcésis N., quern ex parte convéntus eiúsdem monastérii dúximus præsentándum, humíliter postulántes, ut ipsum in Abbátem prædícti monastérii benedícere dignéris.

Prælatus illum interrogat, dicens:

Scitis illum rite eléctum fuísse?

Ille respondet:

Scimus et testificámur.

Praelatus dicit:

Deo grátias.

Si autem agitur de Abbate cui commissa est iurisdictio in territorium ab aliqua diœcesi separatum, post interrogationem de electione rite peracta, Prælatus addit:

Habétis mandátum apostólicum?

Religiosus Electo assistens respondet:

Habémus.

Prælatus:

Legátur.

Tunc legitur mandatum, omnibus sedentibus. Quo perlecto, omnes dicunt:

Deo grátias.

---

19. Deinde Prælatus, omnibus sedentibus, breviter alloquitur religiosos ac populum necnon Electum.

20. Post allocutionem, Electus surgit et stat ante Prælatum, qui illum interrogat, his verbis usus.

Antíqua sanctórum Patrum institútio docet et præcipit ut is, qui ad régimen animárum vice Christi elígitur, examinári et interrogári débeat de divérsis causis et móribus, quæ huic regímini cóngruunt ac necessária sunt. Eádem ígitur auctoritáte te, frater caríssime, interrogámus.

Vis sanctum propósitum tuum et sancti N. Regulam observáre atque fratres tuos ut idípsum fáciant diligénter instrúere,

et ita ad amórem Dei, ad vitam evangélicam et ad caritátem fratérnam impéllere?

Electus respondet:

Volo.

Prælatus:

Vis conversatióne morum, doctrína et exémplo, factis magis quam verbis, fratres tuos edocére?

Electus

Volo.

Prælatus:

Vis, salútem animárum tibi commissárum non parvipéndens, fratres tuos ad Deum perdúcere?

Electus

Volo.

Prælatus:

Vis res monastérii tibi commíssi fidéliter custodíre et ad usum fratrum, páuperum et peregrinórum sapiénter dispensáre?

Electus:

Volo.

Prælatus:

Vis sanctæ Ecclésiæ ac Románo Pontífici eiúsque successóribus fidem, obœdiéntiam et reveréntiam devóte et fidéliter per ómnia perpétuo exhibére?

Electus:

Volo.

Si agitur de Abbate habente iurisdictionem in aliquod territorium, Prælatus addit:

Vis plebem sanctam, cum comminístris tuis presbýteris et diáconis, ut pius pater, fovére et in viam salútis dirígere?

Electus:

Volo.

Prælatus:

Vis oves errántes ut bonus pastor requírere et ovíli domínico aggregáre?

Electus:

Volo.

Prælatus:

Vis Deum omnipoténtem pro pópulo sancto indesinénter oráre et sine reprehensióne pastorále munus tuum exercére?

Electus:

Volo.

Prælatus:

Hæc ómnia et univérsa bona tríbuat tibi Dóminus, ac te semper et ubíque custódiat.

Omnes dicunt:

Amen.

21. Deinde omnes surgunt. Prælatus, stans sine mitra, manibus iunctis, versus ad populum, dicit:

Orémus, fratres caríssimi,
ut Deus et Dóminus noster hunc fámulum suum N.,
qui ad fratrum suórum régimen eléctus est,
dono suæ gratiæ prosequátur.

Diaconus dicit:

Flectámus génua.

Et mox Prælatus ante sedem suam genua flectit; Electus vero procumbit; ceteri autem genua flectunt.

Tunc cantores incipiunt Litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum (ex. gr. Patroni, Tituli ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius qui benedictionem recipit, etc.) aut aliquæ invocationes singulis circumstantiis aptiores.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis
Sancte Míchael, ora pro nobis
Sancti Angeli Dei, oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis
Sancte Ioseph, ora pro nobis
Sancti Petre et Paule, oráte pro nobis
Sancte Andréa, ora pro nobis
Sancte Ioánnes, ora pro nobis
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis
Sancte Stéphane, ora pro nobis
Sancte Lauréenti, ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne, ora pro nobis
Sancta Agnes, ora pro nobis
Sanctae Perpétua et Felícitas, oráte pro nobis
Sancte Gregóri, ora pro nobis
Sancte Augustíne, ora pro nobis
Sancte Athanási, ora pro nobis
Sancte Basíli, ora pro nobis
Sancte Martíne, ora pro nobis
Sancte Antóni, ora pro nobis

Sancte Benedícte,	ora pro nobis
Sancte Columbáne,	ora pro nobis
Sancte Beda,	ora pro nobis
Sancte Romuálde,	ora pro nobis
Sancte Bruno,	ora pro nobis
Sancte Bernárde,	ora pro nobis
Sancte Francísce,	ora pro nobis
Sancte Domínice,	ora pro nobis
Sancta Scholástica,	ora pro nobis
Sancta Clara,	ora pro nobis
Sancta Terésia a Iesu,	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis
Propítius esto,	líbera nos, Dómine
Ab omni malo,	líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto,	líbera nos, Dómine
A morte perpétua,	líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam,	líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam,	líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti,	líbera nos, Dómine
Peccatóres,	te rogamus, audi nos
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut omnes, qui evangélica profiténtur consília, óperi redemptiónis plénius sociáre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut in ómnibus famíliis tibi dicátis Christi caritátem et Fundatórum	

spíritum conserváre et augére dignéris, te rogámus, audi nos

Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut hunc Abbátem eléctum benedícere et adiuváre dignéris, te rogámus, audi nos

Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos

Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

22. Litaniis expletis, diaconus dicit:

Leváte.

23. Omnes surgunt. Electus ad Prælatum accedit et ante eum genua flectit. Prælatus, extensis manibus, dicit:

Deus, Pater omnípotens,
qui Fílium tuum unigénitum in mundum misísti,
ut homínibus ministráret,
et, pastor bonus, vitam suam pro óvibus tráderet,
súpplices te rogámus,
ut hunc fámulum tuum N.,
Abbátem huius monastérii eléctum,
benedícere ✠ et confortáre dignéris.
Concéde, quæsumus, ei, ut præclara conversatióne
eum se osténdat esse qui dícitur,
quo salúbrius doctrína ipsíus ferméntum divínæ iustítiæ
in discipulórum méntibus conspergátur.
Sciat quidem, Dómine, quam diffícilem rem ipse suscípiat,
et quam árduum sit onus régere ánimas
multorúmque móribus servíre;
sciátque sibi oportére prodésse magis quam præésse.

Magnópere ígitur, te inspiránte, sollicitúdinem gerat,
et omni sagacitáte curet et indústria,
ne de óvibus sibi commíssis ullam amíttat;
sed cuncta semper témperet atque dispónat,
ut omnes, in amóre Christi
et caritáte fraternitátis iúgiter procedéntes,
in via mandatórum tuórum dilatáto corde festínent.
Spíritus tui, Dómine, ipsum implére dignáre munéribus,
ut ad glóriam tuam Ecclesiǽque servítium
et se éxcitet, et fratres indesinénter impéllat.
Christo nihil omníno præpónat,
nihil dóceat præponéndum,
quátenus, illíus die adveniénte suprémo,
páriter cum frátribus suis regnum tuum cónsequi mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel, alia oratio

Exáudi, Dómine, preces nostras,
quas in conspéctu maiestátis tuæ
super hunc fámulum tuum N. effúndimus,
qui ad régimen huius congregatiónis eléctus est,
et vice Fílii tui óvium tuárum pastor statúitur.
Réspice eum et tríbue ei ómnia tuárum dona virtútum.
Aperi ei sapiéntiæ thesáuros,
unde próferat nova et vétera.
Gressus eius dírige in viam salútis et pacis,
et fac eum Fílii tui semper sequi vestígia,
ut ætérna prǽmia cónsequi mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel, alia oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, super hunc fámulum tuum N.,
quem ad régimen huius congregatiónis éligi voluísti,

atque eum benedícere ✠ et sanctificáre dignáre,
ut eius cogitátio et operátio
secúndum tuum beneplácitum dirigántur.
Caritátem Dei et próximi
frátribus verbo et exémplo insínuet,
et, licet a sǽculi áctibus sit aliénus,
hóminum necessitátibus, sive córporis sive ánimæ,
sit inténtus.
Opus Dei et sacras lectiónes
frátribus commendáre non désinat,
et cum illis secúndum Evangélium conversétur,
ut omnes ad gáudia pervéniant ætérna.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel, alia oratio

Deus, Pater omnípotens,
qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut ministráret et ánimam daret pro óvibus,
hunc fámulum tuum N.,
Abbátem huius congregatiónis eléctum,
benedícere ✠ et sanctificáre dignéris,
eíque concéde, ut onus árduum, quod súscipit ánimas regéndi
et multórum móribus serviéndi tuo auxílio exsequátur.
Magnópere sollicitúdinem gerat
de iis, qui sibi commíssi sunt, frátribus,
nec ullum ex eis pérdere patiátur,
ut, cum Dóminus in novíssimo die apparébit,
præmium suæ dispensatiónis accípiat.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

24. Finita oratione benedictionis, Prælatus sedet cum mitra. Abbas modo benedictus ad eum accedit, qui Regulam ei in manus tradit, dicens:

Accipe Régulam a sanctis Pátribus tráditam
ad regéndos et custodiéndos fratres tibi a Deo commíssos,
quantum Deus ipse te confortáverit,
et fragílitas humána permíserit.

25. Prælatus anulum in digitum anularem dexteræ manus Abbatis modo benedicti immittere potest, dicens:

Accipe ánulum, fídei signáculum,
ut hanc congregatiónem (vel hanc monachórum famíliam),
constánti virtúte præcínctus,
in fratérna caritáte custódias.

26. Deinde Prælatus potest imponere ei mitram, nihil dicens.

27. Ac tandem tradit ei baculum pastoralem, dicens:

Accipe báculum pastorálem,
et fratrum tibi commissórum gere sollicitúdinem,
pro quibus redditúrus es ratiónem.

28. Surgunt omnes. Si benedictio fit ab Episcopo vel, extra Abbatiam ipsius Electi ab alio Abbate, Abbas modo benedictus sedet primus inter concelebrantes. Si vero benedictio fit ab alio Abbate et in ecclesia Abbatis modo benedicti, sedet in cathedra; ipse vero Abbas qui benedictionem contulit sedet ad dexteram Abbatis modo benedicti.

Si vero Abbas benedictus iurisdictione in aliquod territorium fruitur et in sua ecclesia benedicitur, Prælatus eum invitat ut sedeat in cathedra; ipse autem ad eius dexteram sedet.

---

29. Demum Abbas modo benedictus, deposito baculo, accipit a Prælato qui benedictionem contulit et ab omnibus Abbatibus osculum pacis. Si rerum adiuncta id permittunt, similiter faciunt religiosi el sacerdotes præsentes.

Liturgia eucharistica

30. Omnia fiunt secundum Ordinem concelebrationis Missæ.

31. In fine celebrationis Missæ benedictio datur a celebrante principali; qui, si fuerit ipse Abbas modo benedictus, eam confert ritu pontificali.

32. Data benedictione, dum, pro opportunitate, canitur hymnus Te Deum vel alius cantus aptus, omnes processionaliter per ecclesiam revertuntur in sacristiam et recedunt in pace.

Si vero agitur de Abbate habente iurisdictionem in aliquod territorium, expleta oratione post communionem, canitur hymnus Te Deum, vel alius cantus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Abbas nuper benedictus ducitur ab assistentibus per ecclesiam, et omnibus benedicit.

Finito hymno, Abbas nuper benedictus, stans ad altare vel ad cathedram cum mitra et baculo, potest populum breviter alloqui. Reliqua fiunt de more.

ORDO BENEDICTIONIS ABBATISSÆ

PRÆNOTANDA

1. Benedictio Abbatissæ fiat cum religiosarum et fidelium, si casus fert, frequentia, die dominico vel festivo, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

2. Benedictio Abbatissæ de more celebratur ab Episcopo loci in quo exstat monasterium. Sed, iusta interveniente causa et Episcopo loci consentiente, ab alio Episcopo, vel ab aliquo Abbate, Electa benedictionem recipere potest.

3. Electa, cui assistunt duæ religiosæ sui monasterii, locum obtinet in presbyterio, extra clausuram, ita ut facile ad Episcopum vel Prælatum, qui benedictionem confert, accedere possit, et sacra celebratio ab omnibus, monialibus et fidelibus, videri et participari possit.

4. Præter ea quæ ad Missæ celebrationem necessaria sunt, parentur: a) Pontificale Romanum; b) Regula et anulus, si hic est tradendus; c) calix aut calices sufficientis magnitudinis pro communione sub utraque specie ministranda.

5. Benedictio Electæ fit de more ad cathedram. Si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo vel Prælato qui benedictionem confert ante altare vel loco aptiore; sedes autem pro Electa et religiosis ei assistentibus sic parentur, ut actio liturgica a monialibus et fidelibus bene conspici possit.

DE BENEDICTIONE ABBATISSÆ

Liturgia verbi

6. Antequam incipiat celebratio, Prælatus cum ministris et clero accedit ad portam clausurae. Electa, cum duabus monialibus sibi assistentibus, exit et locum obtinet in processione ad ecclesiam immediate ante Prælatum.

7. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur ad normam rubricarum.

8. Lectiones sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei vel e Missa rituali pro benedictione Abbatissæ, iuxta rubricas.

9. Si Prælatus qui benedictionem confert intra ritum benedictionis allocutionem habet, ut suo loco proponitur, homilia omittitur.

10. Symbolum in hac Missa non dicitur. Item oratio universalis omittitur.

Benedictio Abbatissæ

11. Dicto Evangelio, vel expleta homilia, incipit benedictio Abbatissæ. Prælatus, qui benedictionem confert, ad sedem paratam sedet cum mitra.

12. Electa a monialibus sibi assistentibus adducitur ante eiusdem Prælati sedem, et ei reverentiam facit.

13. Una e monialibus Electæ assistentibus Prælatum alloquitur his vel similibus verbis:

Adest, Reverendíssime Pater, Elécta nostri monastérii N. Ordinis N., diœcésis N., quam ex parte convéntus eiúsdem monastérii dúximus præsentándam, humíliter postulántes, ut ipsam in Abbatíssam prædícti monastérii benedícere dignéris.

Prælatus illam interrogat, dicens:

Scitis illam rite eléctam fuísse?

Illa respondet:

Scimus et testificámur.

Praelatus dicit:

Deo grátias.

14. Deinde Prælatus, omnibus sedentibus, breviter alloquitur moniales ac populum necnon Electam.

15. Post allocutionem, Electa surgit et stat ante Prælatum, qui illam interrogat, his verbis usus:

Vis sanctum propósitum tuum et sancti N. Régulam observáre atque soróres tuas ut idípsum fáciant diligénter instrúere, et ita ad amórem Dei, ad vitam evangélicam et ad caritátem fratérnam impéllere?

Electa respondet:

Volo.

Prælatus:

Vis sanctæ Ecclésiæ ac Románo Pontífici eiúsque successóribus fidem, obœdiéntiam et reveréntiam devóte et fidéliter per ómnia perpétuo exhibére?

Electa:

Volo.

Prælatus:

Vis Ordinário tuo obœdiéntiam exhibére in regímine monastérii tui, secúndum leges canónicas et constitutións Congregatiónis ?

Electa:

Volo.

Prælatus:

Vis conversatióne morum, exémplo et factis, magis quam verbis, soróres tuas edocére?

Electa:

Volo.

Prælatus:

Vis soróres tuas ad vitæ religiósæ traditiónibus fidelitátem et ad pópulum Dei arcána vitæ contemplatívæ fecunditáte apostólica dilatándum incitáre?

Electa:

Volo.

Prælatus:

Hæc ómnia et univérsa bona tríbuat tibi Dóminus, ac te semper et ubíque custódiat.

Omnes dicunt:

Amen.

16. Deinde omnes surgunt. Prælatus, stans sine mitra, manibus iunctis, versus ad populum, dicit:

Orémus, caríssimi fratres et soróres,
ut Deus et Dóminus noster
hanc fámulam suam N.,
quæ ad huius monastérii régimen elécta est,
grátiæ suæ dono prosequátur.

Diaconus dicit:

Flectámus génua.

Et mox Prælatus ante sedem suam genua flectit; Electa quoque ceterique omnes suis locis genua flectunt.

Tunc cantores incipiunt Litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum (ex. gr. Patroni, Tituli ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius quæ benedictionem recipit, etc.) aut aliquæ invocationes singulis circumstantiis aptiores.

Kýrie,eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis
Sancte Míchael,	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis
Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis

Sancte Andréa,	ora pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancte Stéphane,	ora pro nobis
Sancte Lauénti,	ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sanctae Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis
Sancte Gregóri,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Athanási,	ora pro nobis
Sancte Basíli,	ora pro nobis
Sancte Martíne,	ora pro nobis
Sancte Antóni,	ora pro nobis
Sancte Benedícte,	ora pro nobis
Sancte Columbáne,	ora pro nobis
Sancte Beda,	ora pro nobis
Sancte Romuálde,	ora pro nobis
Sancte Bruno,	ora pro nobis
Sancte Bernárde,	ora pro nobis
Sancte Francísce,	ora pro nobis
Sancte Domínice,	ora pro nobis
Sancta Scholástica,	ora pro nobis
Sancta Clara,	ora pro nobis
Sancta Terésia a Iesu,	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis
Propítius esto,	líbera nos Dómine
Ab omni malo,	líbera nos Dómine
Ab omni peccáto,	líbera nos Dómine
A morte perpétua,	líbera nos Dómine
Per incarnatiónem tuam,	líbera nos Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam,	líbera nos Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti,	líbera nos Dómine

Peccatóres, te rogámus, audi nos

Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut omnes, qui evangélica profiténtur consília, óperi redemptiónis plénius sociáre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut in ómnibus famíliis tibi dicátis Christi caritátem et Fundatórum spíritum conserváre et augére dignéris, te rogámus, audi nos

Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos

Ut hanc Abbatíssam eléctam benedícere et adiuváre dignéris, te rogámus, audi nos

Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos

Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

17. Litaniis expletis, diaconus dicit:
Levate.

18. Omnes surgunt. Electa ad Prælatum accedit et ante eum genua flectit. Prælatus, extensis manibus, dicit:

Deus, Pater omnípotens,
qui Fílium tuum unigénitum in mundum misísti,
ut homínibus ministráret,

et, pastor bonus, vitam suam pro óvibus tráderet,
súpplices te rogámus,
ut hanc fámulam tuam N.,
Abbatíssam huius monastérii eléctam,
benedícere ✠ et confortáre dignéris.
Concéde, quæsumus, ei, ut præclára conversatióne
eam se osténdat esse quæ dícitur;
sciátque sibi oportére prodésse magis quam præésse.
Magnópere ígitur, te inspiránte, sollicitúdinem gerat,
et cuncta semper témperet atque dispónat,
ut omnes, in amóre Christi
et caritáte fraternitátis iúgiter procedéntes,
in via mandatórum tuórum dilatáto corde festínent.
Spíritus tui, Dómine, ipsam implére dignáre munéribus,
ut ad glóriam tuam Ecclesiǽque servítium
et se éxcitet, et soróres indesinénter impéllat.
Christo nihil omníno præpónat,
quátenus, illíus die adveniénte suprémo,
páriter cum desorióribus suis regnum tuum cónsequi mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel, alia oratio

Exáudi, Dómine, preces nostras,
quas in conspéctu maiestátis tuæ
super hanc fámulam tuam N. effúndimus,
quæ ad régimen huius congregatiónis elécta est.
Réspice eam et tríbue ei ómnia tuárum dona virtútum.
Gressus eius dírige in viam salútis et pacis,
et fac eam Fílii tui semper sequi vestígia,
ut ætérna præmia cónsequi mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel, alia oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, super hanc fámulam tuam N.,
quam ad régimen huius congregatiónis éligi voluísti,
atque eam benedícere ✠ et sanctificáre dignáre,
ut eius cogitátio et operátio
secúndum tuum beneplácitum dirigántur.
Caritátem Dei et próximi
soróribus suis verbo et exémplo insínuet,
et, licet a sǽculi áctibus sit aliéna,
hóminum necessitátibus, sive córporis sive ánimæ,
sit inténta.
Opus Dei et sacras lectiónes
soróribus commendáre non désinat,
et cum illis secúndum Evangélium conversétur,
ut omnes ad gáudia pervéniant ætérna.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel, alia oratio

Deus, Pater omnípotens,
qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut ministráret et ánimam daret pro óvibus,
hanc fámulam tuam N.,
Abbatíssam huius congregatiónis eléctam,
benedícere ✠ et sanctificáre dignéris.
Magnópere sollicitúdinem gerat
de iis, quæ sibi commíssæ sunt, soróribus,
ut, cum Dóminus in novíssimo die apparébit,
præmium suæ dispensatiónis accípiat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

19. Finita oratione benedictionis, Prælatus sedet cum mitra. Abbatissa modo benedicta accedit ad eum, qui Regulam ei in manus tradit, dicens:

Accipe Régulam a sanctis Pátribus tráditam
ad regéndas et custodiéndas soróres tibi a Deo commíssas,
quantum Deus ipse te confortáverit,
et fragílitas humána permíserit.

20. Anulus non traditur, si Abbatissa ilium iam recepit in die suæ professionis et consecrationis.

Si vero Abbatissa anulum non recepit, Prælatus potest illum ei immittere in digitum anularem dexteræ manus, dicens:

Accipe ánulum, fídei signáculum,
ut hanc congregatiónem, constánti virtúte præcíncta,
in fratérna caritáte custódias.

21. Tunc Abbatissa salutat Prælatum, et ad sedem suam cum duabus assistentibus suis recedit.

22. Post Missam, dum, pro opportunitate, canitur hymnus Te Deum, vel alius cantus congruus, Prælatus Abbatissam ducit ad clausuram. Si Prælatus est Ordinarius loci et iurisdictionem immediatam habet super moniales, Abbatissam ad sedem in choro conducit et eam sedere facit, nisi Abbatissa hoc signum auctoritatis iam peregerit, immediate post electienem.

APPENDIX

LECTIONES BIBLICÆ
PRO MISSA RITUALI IN BENEDICTIONE ABBATIS ET ABBATISSAE

LECTIONES E VETERE TESTAMENTO

1. Prov 2, 1-9: «Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam».
Fili mi, si susceperis sermones meos ...

2. Prov 4, 7-13: «Viam sapientiæ monstrabo tibi».
Principium sapientiæ ...

LECTIONES E NOVO TESTAMENTO

3. Act 2, 42-47: «Omnes qui credebant erant pariter et habebant omnia communia».
Erant discipuli perseverantes in doctrina Apostolorum ...

4. Eph 4, 1-6: «Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis».
Fratres: Obsecro vos, ego vinctus in Domino ...

5. Col 3, 12-17: «Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis».
Fratres: Induite vos sicut electi Dei...

6. Hebr 13, 1-2. 7-8. 17-18: «Obœdite præpositis vestris. Orate pro nobis».
Fratres: Caritas fraternitatis maneat...

7. 1 Petr 5, 1-4: «Forma gregis ex animo».
Carissimi: Seniores qui in vobis sunt ...

PSALMI RESPONSORII

8. Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6
℟ (Ps 39, 5 a): Beatus vir qui posuit Dominum spem suam.

9. Ps 33, 2-3. 4-5. 10-11. 12-13
℟ (12): Filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

10. Ps 91, 2-3. 5-6. 13-14. 15-16
℟ (Cf. 2 a): Bonum est confiteri tibi, Domine.

Alleluia et Versus ante Evangelium

11. Mt 23, 9 a. 10 b
Unus est Pater vester, qui in caelis est; et magister vester unus est, Christus.

12. Col 3, 15
Pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore.

Evangelia

13. Mt 23, 8-12: «Qui maior est vestrum, erit minister vester».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite vocari Rabbi...

14. Lc 12, 35-44: «Constituit eum Dominus super familiam suam».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti ...

15. Lc 22, 24-27: «Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat».
In illo tempore: Facta est contentio inter discipulos quis eorum ..

INDEX